

1456 juli 15, Abdij Echternach Luxemburg

Archief abdij Echternach, Staatsarchief Luxemburg
Publicatie: Wampach, deel 10, nummer 96
15-7-1456

Wynand, Abt van Echternach, herinnert de Commandeur van de Duitse Orde in Maastricht aan de levering van een pond was op Maria Lichtmis aan het klooster van Echternach, zoals toegezegd bij de stichting van de parochiekerk van Gemert.

Winandus Dei gracia abbas monasterii sancti Willbrordi Epternacensis.
Salutem cum debita recommendacione prelibata. Venerabilis domine. Accepimus ex litteris vestris quod vos non latere credimus, qualiter vos pro vobis et successoribus vestris obligastis perpetuis temporibus singulis annis in festo Purificacionis Virginis gloriose unam libram cere ad pios usus luminarium nostri monasterii aut receptori nostro infra villicaturam Buscoducis persolvere et unam libram cere quociens novus abbas creatur pro compensacione quod predecessor noster dominus Petrus pie memorie abbas Epternacensis in constructione, fundacione, erectione et separacione ecclesie parrochialis etc in Gemmart generosius inclinatus pro se et suis posteris benevolum et gratuitum prebuit et prestitit favorem pariter et assensum, quodque frater Johannes professus et procurator hospitalis beate Marie Theutonicorum Jerosolimitani per Almaniam et Ytaliam promisit ad manus notarii publici legitime stipulanti (!) sub pena mille florenorum in casu negligencie tarnen [sedi] Apostolice solvendorum. Nunc autem vero a receptore nostro diligenter didicimus, quod dicta libra cere in feodum nobis assignata minime persolvitur nec aliquo anno transacto est soluta de quo miramur. Quare venerabilis pater, monemus et exhortamur vos in Christo, quatenus dictam libram cere de cetero persolvere et de effluxis annis nobis aut receptori nostro assignare velitis ne aliqua contencio aut sinistra suspicacio inter nos oriatur. Quid enim valet contractus inter homines per litteras seu scripturas corroboratus, qui per modicam negligenciam infringitur seu violatur. Alioquin oporteret nos querere vias per quas vos ad condignam compellere valeamus satisfaccionem, quod tamen invite facimus nisi culpa vobis specialiter assignaretur faciendi ut confidimus. Valet in Christo. Datum nostro sub sigillo ipso die sanctorum Divisionis apostolorum anno LVI^o etc.

Venerabili et circumspecto viro domino commendatori domus Traiectensis ordinis Sancte Marie Jerosolimitani fautori suo sincero dilecto.